

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

**Prot. n. 34450/03 CG**

**N seu NN**

***Nullitatis matrimonii***

**(X - Y)**

***Querelae nullitatis adversus sententiam def. d. 22 novembris 2002***

**DECRETUM**

1. Die 5 decembris 1987 Z matrimonium celebrarunt D.nus X, undequadragesima annos natus, et D.na Y, triginta et unum annos nata, ambo publici notarii.

Mulier iam antea matrimonium contraxerat, quod vero mox naufragatum dein utpote ratum non consummatum a Summo Pontifice solutum erat.

Matrimonio celebrato, D.nus X et D.na Y tantum in fine hebdomadae simul erant, in regione W nempe, id est apud maritum. Difficultatibus autem mox ortis, separatio de facto instituta est post paucos menses. Vir dein exeunte anno 1988 (ita sententia primi gradus) adiit T.E.R.N., a quo die 15 ianuarii 1992 lata est sententia definitiva in prima instantia pro nullitate matrimonii “ex can. 1098 a causa del dolo col quale la convenuta ha prestato il suo consenso matrimoniale”; quoad capita vero subordinate concordata, scilicet “ex can. 1097, §2 per l’errore... sulle qualità della convenuta... «directe et principaliter» volute” necnon “ex can. 1102, §2 per non essersi verificata la condizione «de praesenti»” ex parte viri actoris consensui apposita, sententia statuit: “iam provisum in primo”.

Turnus vero Rotalis coram M die 22 martii 1996 sententiam primae curae infirmavit, declarans “non constare de nullitate matrimonii in casu ex ullo capite adducto”.

Appellante viro actore, Turnus Rotalis coram [...], partibus denuo interrogatis, die 19 octobris 1999 decreto suo non admisit probationem a Cl.mo mulieris conventae Patrono petitam, scilicet ut peritia fieret circa paternitatem pueruli a muliere post separationem progeniti.

Instante eodem Cl.mo Patrono Exc.mus Decanus dein, auditis duobus Rev.mis Praelatis Auditoribus Senioribus, Turnum auxit, causam scilicet quinque Auditoribus committens.

Cl.mus vero Patronus viri actoris exinde institit ut Turnus coram quinque in primis videret de propria absoluta incompetencia. Cum Rev.mus Ponens quaestionem ad disceptationem admiserit, per memorialia solvendam, Cl.mus partis conventae Patronus ad H.S.T. provocavit, quod vero die 19 novembris 2001 quoad assertam incompetenciam Turni decidendi super legitimitate vel minus decreti Exc.mi Decani statuit “considerari non posse, ideoque non considerari” et die 28 februarii 2002 “locum non esse recusationi Auditoris”, scilicet Rev.mi [...].

Die tandem 22 novembris 2002 lata est decisio in tertio iudicii gradu affirmativa, “seu constare de matrimonii nullitate, in casu, dumtaxat ex capite conditionis a viro adpositae sed non impletae”. Quam sententiam iudices declaraverunt “aequivalenter conformem cum decisione affirmativa primi gradus ideoque executivam quoniam prima et altera decisio iisdem innititur factis iuridicis etsi diversa sub luce conspectis”.

2. Quam adversus decisionem, die 22 februarii 2003 publicatam, Cl.mus Patronus conventae, triplicem proposuit impugnationem, scilicet a) recursum ad Turnum Rotalem Superiorem super quaestione de conformitate aequivalenti sententiarum primi et tertii gradus, b) querelam nullitatis coram H.S.T. ob ius defensionis denegatum, c) petitionem N.C.P., ob assertam causarum connexionem item coram H.S.T. exhibitam.

Exc.mus vero H.S.T. Secretarius die 21 maii 2003 decrevit: “ab hoc Supremo Tribunali querelam nullitatis propositam tantum examinandam esse”.

Exhibitis a Cl.mo Patrono viri actoris, memoriali die 21 iunii 2003, et a Rev.mo Defensore Vinculi Substituto die 27 octobris 2003 animadversionibus pro vinculo, Rev.mus Promotor Iustitiae die 19 februarii 2004 votum pro rei veritate prompsit. Responderunt tandem Cl.mus mulieris conventae Patronus die 4 martii 2004, Rev.mus Defensor Vinculi Substitutus die 5 martii 2004 et Cl.mus viri actoris Patronus die 14 aprilis 2004.

Quibus praehabitis:

## SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

### SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

3. Praemisso quod haec praesertim argumenta adducuntur ad propositam querelam nullitatis ob ius defensionis denegatum sustinendam:

a) “quia possibilitas conventae data non fuit praesentandi ne unam quidem probationem”;

b) id est, cum Turnus Rotalis coram [...] recusaverit petitam iubere peritiam super paternitate pueruli a muliere conventa post separationem progeniti;

c) etsi in impugnata sententia definitiva “filiationis seu paternitatis quaestio de facto conclusiva evadit pro nullitate”;

d) laesa quoque esset paritas, quae inter partes vigere debet, cum documenta a viro actore in tertio iudicii gradu exhibita admissa sint, et mulieri conventae petita recusata sit peritia;

et ad rem perspecto quod:

4. Ad a:

- Mulier conventa in prima instantia suas probationes exhibuit et deinde haudquaquam petiit ut relate ad quaestionem paternitatis filii post separationem progeniti producere posset documentum a perito privato confectum de eius filiique sanguinis examine, quamvis in actis iam exstaret quoddam eiusmodi documentum relate ad virum actorem;

- Secundum can. 1639, §2, in gradu appellationis novae probationes tantum ad normam can. 1600 admittuntur, id est in causis N.M. “auditis partibus et dummodo gravis exstet ratio” (can. 1600, §1, 2º) vel “quoties verisimile est, nisi probatio nova admittatur, sententiam iniustam futuram esse propter rationes, de quibus in can. 1645, §2, 1º- 3º” (*ibid.*, 3º), salva autem eiusdem can. §2, quam penes potest “iudex iubere vel admittere ut exhibeatur documentum, quod forte antea sine culpa eius cuius interest, exhiberi non potuit”.

5. Ad b:

- Iudicis est, praeter casus in quibus peritia ipso iure praescribitur, discernere utrum opera peritorum ad factum aliquo comprobantur requiratur, necne (cf. can. 1574); in gradu appellationis praeterea, uti modo dictum est, ad rem prae oculis habendi sunt cann. 1639, §2 una cum can. 1600, §1, 1º-3º;

- Turnus coram [...] decreto diei 14 octobris 1999, quo petitam peritiam iubere recusabat, iam tenuit quod: “Neque praevisa vel hypothetica subversio conclusionum primae sententiae civilis substantiam quaestionis nunc sub iudice immutare directe potest, cum pluribus ex fontibus adsint facta et probata respicientia... nullitatis capita”, immo ita conclusit: “... tenent Patres probationem paternitatis non esse obiectum directum quaestionis hac in instantia diluendae neque directe cohaerere cum quaestione de asserto consensu matrimoniali conditionato vel erronee vel dolose praestito, vel quia circumstantia legitimitatis vel illegitimitatis progenitae prolis super qua petitur probatio peritalis tempore postnuptiali exsistit”;

- Iudex Ponens in tertia instantia mulierem denuo interrogavit, ubinam nempe mense iunio 1988, seu tempore conceptionis pueruli, occursum habuisset cum D.no X, sed ipsa nullum locum indicavit. Asserti occursum, iuxta ipsam, utique clandestini fuissent, ne mater et ceteri familiares actoris de re scirent, sed nulla ratio cogens habetur cur in quodam deversorio maritus et coniux suam identitatem celavissent, curque de re confirmatio ex registro eiusdem deversorii obtineri non possit. Iamvero, si mulier conventa ne unam quidem indicationem super loco, quo mense iunio 1988 cum actore convenisset, dare poterat, prorsus incredibilis censenda erat eius assertio de filio tunc ex actore concepto, quam ob rem petita peritia consequenter inutilis videbatur (cf. can. 1527, §1);

#### 6. Ad c:

- Impugnata sententia non tantum exposuit argumenta pro decisione affirmativa, verum etiam crisi subiecit sententiam negativam secundae curae atque argumentis fortiter a Cl.mo mulieris conventae Patrono petitam propositis respondit, adeo ut eius structura evaserit sat implicata;

- Sententiae civiles ad quas impugnata sententia coram [...] refert, non solam quaestionem paternitatis respiciunt, immo, quatenus facta in processu civili peracta referunt, haudquaquam nullius valoris sunt, etsi interdum eis minus feliciter etiam in foro canonico vis rei iudicatae attribui videtur;

- Utcumque, non probatur ex eius structura quod reapse in “ipsissima Rotali impugnata sententia definitiva filiationis seu paternitatis quaestio de facto conclusiva evadit pro nullitate”;

#### 7. Ad d:

- Causa in secundo gradu ad ordinarium examen admissa est, cum adhuc egeret accuratiore investigatione, imprimis per acquisitionem saltem

## SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

actorum ad separationem legalem et ad causam paternitatis repudiandae filii a muliere editi quod attinet. Lata dein hac de re decisio ultima a Suprema Aula [...], exemplar eiusdem ab actore exhibitum in tertia instantia admissum est, sed peritia a muliere conventa petita, e contrario, non est concessa;

- Attentis vero ad rem, una ex parte, can. 1639 una cum can. 1600, §2, et, altera ex parte, can. 1639 una cum cann. 1574 et 1600, §1, 2<sup>o</sup>-3<sup>o</sup>, frustra in casu invocatur paritas, quae inter partes vigere debet;

8. Considerato, tandem, quod:

- In can. 1620, de nullitate insanabili sententiae, non agitur sub n. 7 de qualibet violatione iuris defensionis, sed tantummodo de iure defensionis denegato;

- Nonnisi perdifficulter admitti potest ius defensionis revera denegatum ob non admissam probationem, praesertim si agitur de probatione in gradu appellationis a iudice non admissa;

- Secundum art. 19, §1 Normarum H.S.T. Specialium querela nullitatis “contra sententiam rotalem proponi potest in casibus enumeratis in cann. 1892 et 1894 [nunc 1620 et 1622], dummodo vitia ibid. recensita manifeste appareant. In dubio, recursus fundamento destitutus habendus est...” (emphasis addita est);

9. Re sedulo examini subiecta in Congressibus, diebus 13 et 26 maii 2004, vi facultatis specialis (cf. epist. Em.mi Secretarii Status diei 13 februarii 2004), coram infrascripto Secretario habitis,

**decrevit:**

**Propositam querelam nullitatis adversus sententiam rotalem [...] diei 22 novembris 2002 reiciendam esse et facto reici.**

Pro expensis iudicialibus retinetur cautio apud arcam H.S.T. deposita. Partes suo quaeque Cl.mo Patrono congruum solvant honorarium.

Et notificetur omnibus quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 26 maii 2004.

IURISPRUDENTIA: PROT. N. 34450/03 CG

+ Velasius DE PAOLIS, Sec.

F. DANEELS, o.praem, P.I.